ORATIO
Habita in Basilica S.S. Apostolorum
PETRI, & PAULI
Pridie Kal. Aprilis 1721.


Ad Eminentissimos ac Reverendissimos Dominos

DD. SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
CARDINALES
CONCLAVE INGRESSUROS

Pro Summo PONTIFICE *eligendo*


A CAMILLO DE MARI CLERICO REGULARI

Patritio Januensi, & Episcopo Aleriensi.



ROMÆ M.DCC.XXI.
Ex Typographia VATICANA.
SUPERIORUM FACULTATE.

ORATIO.



Uod maximè metuendum erat EE. PP. ne in tam magna humanarum divinarumque rerum perturbatione ſupremo, & optimo Principe Chriſtiana Reſpublica deſtitueretur, id ad communem triſtitiam contigiſſe nuper ſtupemus, verius præ inopinato ictu, quo ſumus perculſi, quam dolemus. At verò non in hunc locum conveniſſe vos video, ut recenti vulnere ad memoriam revocato, ocioſo indulgeatis dolori, ſed ut luctui Catholicæ Eccleſiæ ſuo viduatæ Paſtore ſolatium feratis, eique, quem enixè à vobis efflagitat dignum tantis votis Principem, & Caput pro veſtro amore, quamprimum reddatis. Cujus ergo commodis conſulere, quod negotium, humanitus quidem, ſed divi-

 num,

num, agere debeatis, ſatìs abunde vos intelligere arbitror, neque verò aut mihi vires ſuppetunt ad hujus rei magnitudinem declarandam, neque aut vobis ad eam expendendam conſilium, & ſapientia deſunt. Cùm enim mecum reputo ampliſſimum Senatum Veſtrum ad deliberandum de ſummis in toto Orbe negotiis, à Deo conſtitutum, ipſam verò deliberationem, quam de rerum omnium maxima facturi eſtis ab afflatu divino pendentem; tum demum ſentio, quam jure mihi lætandum ſit, quod in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi id argumenti genus oblatum eſt, quod in unoquoque veſtrum intelligo comprobatum, & quo à vobis doceor, quæ vos ipſos monere debeo. Cùm itaque auctoritate veſtra de iis meritis, quæ à vobis in futuro Pontifice Maximo conſideranda ſunt inſtituto majorum ſim verba facturus, ea tantum publicè, ſed breviter, dicam, quæ hac de re conjicio vos ſedulò, & ſanctè cogitare.

At.

Atque illud in primis ſpectandum vobis eſſe cenſeo, ut pro dignitatis faſtigio virum quæratis cujus virtus tam in edito collocata ſit, ut nullius mortalium latère poſſit obtutus. Hanc profectò agendi rationem ſibi ad hominum exemplum Deus ipſe conſtituit, quum (*a*) Aaronem à ſe in ſummū ſacrorum Antiſtitem electum, non prius inaugurari juſſit, quam per Moyſen in conſpectu multitudinis ſiſteretur: eo nimirum conſilio, ut omni populo perſpecta fieret Sanctitas, prudentia, ac religio hominis, qui cuncto etiam populo Sacerdotii poteſtate; ac honore præponebatur; & dignus tantùm Principatu ſuper cæteros oſtenderetur, qui ob virtutis cenſum ſuper reliquos eminere omnium calculis probabatur.

[a] *Lev.8.v.3. & 4.in quem locum Origen. homil.6. in Levit. licet ergo Dominus de conſtituendo Pontifice præcepiſſet, & Dominus elegiſſet, tamen convocatur Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote, & præſentia Populi, ut ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.*

Hinc ut probè ſcitis, Aaronis inſtitutionem in Eccleſiæ regulam, ita (*b*) Apoſtolus vindicavit, ut piaculum ſit in Eccleſiaſtici honoris adeptione aliam ſibi formam proponere, præter illam, quæ in ſupremo

[b] *Ad Hebr.5. verſ.4 in quem locum Anſelmus. Percutiuntur hac ſententia, qui honores Eccleſiaſticos, ad quos divinitus non vocantur arripere cupiunt. Qui*

enim ſe ingerit, & propriam gloriam quærit, non ſumit honorem, ſi Pontifex, aut Prælatus in Eccleſia factus fuerit.

illo antiqui fœderis Pontifice Apoſtolica ſententia conſtituta eſt, ac tamquam raptor dignitatis habeatur, qui non vocatus à Deo tamquam Aaron, meritis vacuus decus ſibi, & ſplendorem ex dignitate quærit.

Hæc quũ ita ſint jã vos intelligere puto, quam rem difficilem acturi ſitis, cum non unius tantum Populi, non unius nationis, Regni, aut Provinciæ, ſed totius Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt, Univerſi terrarum Orbis, per quem illa diffunditur, Rectorem, Moderatorem, Caput, & Magiſtrum deligere, & inaugurare debetis; qui non modò cunctas Chriſti gregis oviculas, ſed & Paſtores (*c*) omnes, ipſe Paſtor gubernet doctrinæ pabulo, ac Sanctitatis exemplo, & poteſtatis virga per juſtitiæ & veritatis ſemitas dirigat: cujus judicium ſupremum in terris irreformabili ſententia morum, fideique cauſas definiat: Cui Eccleſiaſtica jura, ſacræ leges, ritus, & diſciplinæ robur, firmitatem, vitam, & ſpiritum cre-

[c] *S. Eucherius Lugdun. vel Euſebius Gallus homil. in vigil. SS. Petri, & Pauli. BB. VV. PP. prius agnos, deinde oves commiſit ei, qui non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit.*

credant: quem non modò unius vel alterius Urbis cives, ſed totius Orbis fideles publicum Parentem meritò vocent: in quo (*d*) denique uno Eccleſiæ unitas, & pax, ſalus, & felicitas Chriſtianæ Reipublicæ conſtituta ſint. Qualem ergo virum, quibus virtutibus ornatum debere eſſe arbitramini, qui huic oneri par ſit, & tantum cæteris mortalibus doctrina, auctoritate, ac morum innocentia præſit, quantum ſuper reliquos Principatus Apoſtolici Throni majeſtas extollitur!

Neque vos latere poteſt humanæ Gentis Reparatorem, hanc omnium maximã dignitatem, nec ante Petro (*e*) promittere, inſtituiſſe, quam ille præclariſſimo confeſſionis ſuæ argumento firmitate fidei, ſe cæteris Diſcipulis præſtare indicaret: nec promiſſam dignitatem ante eidem Apoſtolo Dominum contuliſſe, quam illuſtri amoris ſui documento ille, ſe charitatis fervore reliquos antecellere Apoſtolos oſtenderet. Qua in re nemo unus

[d] *S. Cyprian. lib. de unitat. Eccleſ. ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit ..... Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur.*

[e] *S. Ambroſ. in cap. ult. Luc. ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, ex omnibus antefertur.*

unus neſciat in primo Chriſtianorum Pontifice ſucceſſorum exemplar (*f*) Dominum propoſuiſſe, quo ad tam Amplum Eccleſiæ ſuæ Regimen moderandum is aptior inter alios demonſtraretur, cujus explorata virtus eſſet, non clanculum latitans, ſed in aperto fulgens, & propriorum operum ſuffragiis non alienis ſtudiis publicè commendata.

[f] *S. Leo Ser. 3. de Anniv. aſſum. ſuæ ad Pontif. ideo Petro hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus forma proponitur.*

At verò, & ſi omnes vos ad hunc apicem dignitatis præclaris operibus iter ſibi indicare compertum ſit, inde tamen majorem vobis accedere difficultatem, quod inter plures deliberatio veſtra fluctuare poſſit, intelligo. Sed quod forte humanis conſiliis aſſequi non valetis, ut de tot optimis Patribus ad unum immobiliter, atque celeriter animum adjiciatis; id vos à Deo Optimo Maximo precibus impetraturos certò ſciatis. Hoc enim vos docuit Eccleſiæ, & Principatus ejus inſtitutor Filius Dei, qui, ut rectè noritis, Principes Orbis terrarum ex Diſcipulis electurus,

quam-

quamvis merita, quæ in deligendis ipse fecerat sinè hæsitatione cognosceret, præviam tantæ inaugurationi noctem precibus ad Patrem crebris totam impendit, ut in constituendis Ecclesiasticis Principibus lumen è superis expetendum pro discernenda personarum dignitate suo exemplo moneret. Hoc etiam ab Apostolis accepistis, qui quod ipsorum judicium fugiebat, humili ad Deum obsecratione, unum ex duobus sanctimonia vitæ æquè claris dignum, qui in Apostolatum subrogaretur, agnoverunt. Hoc denique vos præsentium conditio temporum suadet, ad quam si lubeat oculos, mentemque convertere in eam nos incidisse facilè intelligetis, quâ forte alia iniquior nulla gravioribus curis animum supremi Pastoris unquam invasit. Hominem à Deo elaboratum, Pontificem ope Dei ex hominibus assumptum ad gubernandam in hac temporum iniquitate Ecclesiæ Navim, tot undique ingruentibus calamitatum fluctibus, tot dis-

cor-

[g] *Lucæ 6. Card. Tolet. ibid. annotat. 16. Quamvis ergo nūc Christus sciret, qui electi erāt à Patre in Apostolatum, & quales futuri . . . orare tamen voluit . . . . quo facto dedit nobis etiam exemplum, ut orationem præmittamus : maximè autem præmitti debet ab iis, quibus incumbit ministros Ecclesiæ præficere.*

cordiarum, bellorum: irruentibus procellis neceſſarium fatebimini, qui ſemper ex arce ſpeculetur, in acie ſemper conſiſtat, & pro Domo Iſrael Murum apponat.

Sed eja agite EE. PP. negotioſum quidem opus aggreſſuri eſtis, ſed non veſtris ſolum viribus perficiendum aderit, aderit vobis divina virtus ſpiritu conſilii, & fortitudinis, quæ ſi vos vacui, ut juſtum eſt credere, ſtudiis quibuſcunque privatis, cognationis, amicitiæ, utilitatis, & gratiæ flecti in eam partem patiamini, ad quam vos aura illa cæleſtis impellet, ita corda, & cogitationes veſtras ſuo lumine implebit, ut inſignem illam pietatem, illam egregiam in rebus agendis peritiam illam vitæ integritatem, ſingularem illam clementiam ſuo nomine, & tanto Principe dignam, quas in obitu Clementis XI. P. Op: Ma: flevit Eccleſia, iterum gaudens in novo Sponſo per vos ſuper faſtigium Apoſtolici ſolii locatas aſpiciat. Ite ergo Ductorem ſequimini, quo prævio omne

no-